

NVMMVVS CASTRENSIS

GVILHELMI PRINCIPIS AVRIA-
ci, Comitis Nassovij, cufus subipfum (uti videtur)
belli Belgici primordium. Anno
Christi 1568.



Uilhelmus Auriacus, tyrannide Albani motus, cum Ludovico fratre in Germania Principes, maximè protestantes convenit: deplorans patriæ suæ calamitatem conqueritur, quod contra conditiones pacis & Belgarum privilegia, omnes munitio- nes repletæ sint Hispano milite: arces plurimæ eri- gantur: fiant cædes propè quotidianæ nobilissimo- rum hominum; nec tantum de salute & libertate Belgarum in præfenti, sed totius Germaniæ inco- lumitate agatur. Eo certè Principum animos perducit, ut foedere percuf- so omne genus auxiliorum liberalissimè ei promiserint: quibus etiam ad- juvantibus, Augusto comprimis Duce Saxoniz: Joanne Casimiro Palati- no Comite: & Wolffgango Duce Bipontino, duodecim millia peditum, & tria equitum colligit. Non verò his solum copiis, sed etiam Belgarum ar- mis adjutus putabat fore, ut Albanum è Belgio eiiciat. Nulla autem fuit civitas, quæ auderet palam tumultuari, cum omnes essent præfidijs minus firmis munitæ. Albanus nihil his territus mandata contra religionis novæ annuntiationem repetit: jubet arma civibus eripi, & ad urbis præfectos deportari. Cum etiam comperisset, Auriacum, atque eius fratrem Ludo- vicum, magnas copias in Germania colligere, ad tuendos Belgij fines mi- lites Italos Tornaco evocat: Præsidium ex Hispanis in arcem munitissi- mam Bredanam mittit: viam intercludit Gallis & Belgis, qui duce Bullæo in Belgium contenderant: adoritur eosdem propè urbem Dalemum in Clivenfi agro: trucidat circiter mille sexcentos: reliquos dissipat. *Licet ita-*